

memoriale tuum in generatione et generatione.

Tu ¹ suscitans misereberis Sion : quia tempus ut miserearis ejus, quoniam venit ² tempus.

Quoniam placitos fecerunt servi tui lapides ejus, et pulverem ejus miserabilem.

Et timebunt gentes nomen Domini, et universi reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : apparuit in gloria sua.

Respexit ad orationem ³ vacui, et non desepxit orationem eorum.

Scribatur hoc in generatione novissima, et populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quoniam prospexit de excelso sanctuario suo : Dominus de cælo terram contemplatus est.

Ut audiret gemitum victi, ut solveret filios mortis.

Ut narretur in Sion nomen Domini, et laudatio ejus in Jerusalem.

Quum congregati fuerint populi simul, et regna ut serviant Domino.

Afflixit in via fortitudinem meam : abbreviavit dies meos.

Dicam Deus meus, ne rapias me in medio dierum meorum : in generatione generationum anni tui.

A principio terram fundasti, et opus manuum tuarum cæli.

Ipsi peribunt, tu autem stabis, et omnes quasi vestimentum atterentur : quasi ⁴ pallium mutabis eos, et mutabuntur.

Tu autem ipse, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum ante faciem tuam ⁵ perseverabit.

SALMO CII.

Benedic anima mea Domino, et omnia viscera mea nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnium retributionum ejus.

Qui propitiatur cunctis iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de corruptione vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui ⁶ replet bonis ornamentum tuum : innovabitur sicut aquilæ juvenus tua.

Faciens justitias Dominus, et judicia cunctis qui calumniam sustinent.

Notas fecit vias suas Mosi : filiis Israël ⁷ cogitationes suas.

Misericors et clemens Dominus : ⁸ patiens et multæ miserationis.

Non in sempiternum ⁹ judicabit : neque in æternum irascetur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantum enim excelsius est cælum terræ : tantum confortata est misericordia ejus super timentes eum.

Quantum longè est oriens ab occidente : tantum longè fecit à nobis scelera nostra.

Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

Ipsè enim novit ¹¹ plasmationem nostram : recordatus est quia pulvis sumus.

Homo quasi herba dies ejus : sicut flos agri sic florebit.

Quia spiritus pertransiit eum, et non subsistet : et non cognosceat eum ultra locus ejus.

Misericordia autem Domini ab ¹² æterno, et usque in ¹³ æternum super timentes eum : et justitia ejus in filios filiorum.

His qui custodiunt pactum ejus, et recordantur præceptorum ejus ad faciendum ea.

Dominus in cælo stabilivit thronum suum, et regnum illius omnium dominatur.

Benedicite Domino Angeli ejus, fortes robore, facientes verbum ejus : obedientes voci sermonis ejus.

Benedicite Domino omnes exercitus ejus, ministri ejus qui facitis placitum illius.

Benedicite Domino universa opera ejus in omnibus locis potestatis ejus : benedic anima mea Domino.

SALMO CIII.

Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es nimis.

Gloriâ et decore indutus es : amictus luce quasi vestimento :

Extendens cælos ut pellem. Qui ¹⁴ tegis aquis coenacula ejus.

Qui ¹⁵ ponis nubes currum suum : qui ¹⁶ ambulat super pennas venti.

Qui ¹⁷ facis Angelos tuos spiritus : ministros tuos ignem urentem.

Qui ¹⁸ fundasti terram super bases suas : ²⁰ non commovebitur in sæculum et ²¹ in sæculum.

1 surgens — 2 condictum — 3 effossi — 4 vestimentum — 5 diriget — 6 satiat — 7 adinventiones — 8 tardus ad furorem — 9 litigabit — 10 in sæculum perseverabit — 11 cogitationem — 12 à sæculo — 13 in sæculum — 14 textit — 15 posuit — 16 ambulat — 17 facit Angelos suos — 18 suos — 19 fundavit — 20 ut non commoveatur — 21 et ultra

Abyssus quasi vestimento operuisti eam : super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient : à voce tonitru tui formidabunt.

Ascendent montes et descendant campi, ad locum quem fundasti eis.

Terminum posuisti quem non pertransibunt : nec revertentur ut operiant terram.

Qui emittis fontes in convallibus, ut inter medios montes ambulent.

Ut bibant omnia animalia regionum, et reficiant onagri silim suam.

Super ea volucres cæli morabuntur : de medio nemorum dabunt vocem.

Qui irrigas montes de coenaculis tuis : de fructu operum tuorum ¹ implebitur terra.

Germinans herbam jumentis, et fœnum servituti hominum ;

Ut educat panem de terra : et vinum lætificet cor hominis.

Ad exhilarandam faciem ² in oleo : panis autem cor hominis roborat.

Saturabuntur ligna Domini : cedri Libani quas plantavit.

Ibi aves nidificabunt, milvo abies domus ejus.

Montes excelsi cervis : petra refugium ³ hericiis.

Fecit lunam per tempora : sol cognovit cubitum suum.

Posuisti tenebras, et facta est nox : in ipsa ⁴ moventur omnes bestiae sylvæ.

Leones rugientes ad prædam, et quærentes à Deo escam sibi.

Oriente solè recedent, et in ⁵ speluncis suis cubabunt.

Egredietur homo ad opus suum, et ad servitulem suam usque ad vesperum.

Quam multa sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tuâ.

Hoc mare magnum et latum manibus, ibi reptilia innumerabilia : animalia parva cum grandibus.

Ibi naves pertranscunt : leviathan istum plasmasti ut ⁶ illuderet ei.

Omnia in te sperant, ut des cibum in eis in tempore suo.

Dante te illis, colligent : aperiente te manum tuam ⁷ replebuntur bono.

Abscondes vultum tuum, turbabuntur, auferes spiritum eorum, deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emittes spiritum tuum et creabuntur, et instaurabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in ⁸ sempiternum : lætabitur Dominus in operibus suis.

Qui respicit terram et tremet : tangit montes et fumabunt.

Cantabo Domino in vita mea : psallam Deo meo quamdiu sum.

Placeat ei eloquium meum : ego lætabor in Domino.

Deficiant peccatores de terra, et impii ultra non sint : benedic anima mea Domino. Alleluia.

SALMO CIV.

Confitemini Domino, invocaté nomen ejus : notas facite populis ⁹ cogitationes ejus.

Cantate ei, et psallite illi : loquimini ¹⁰ in universis mirabilibus ejus.

¹¹ Exsultate in nomine sancto ejus : lætetur cor quærentium Dominum.

Quærite Dominum et virtutem ejus : quærite faciem ejus jugiter.

Recordamini mirabilia ejus quæ fecit : ¹² signorum et judiciorum oris ejus.

Semen Abraham servi ejus : filii Jacob electi ejus.

Ipsè Dominus Deus noster : in universa terra judicia ejus.

Recordatus est in ¹³ æternum pacti sui : ¹⁴ verbi quod præcepit in mille generationes.

Quod pepigit cum Abraham, et juramenti sui cum Isaac.

Et ¹⁵ firmavit illud Jacob in ¹⁶ lege : Israël in pactum sempiternum.

Dicens, Tibi dabo terram Chanaan : funiculum hæreditatis vestræ.

Quum essent viri pauci, modici et advenæ in ea.

Et ¹⁷ transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.

Non dimisit hominem ut ⁸ noceret eis, et corripuit pro eis reges.

Nolite tangere christos meos, et prophetas meos nolite affligere.

Et vocavit famem super terram : omnem ¹⁹ virgam panis contrivit.

Misit ante faciem eorum virum : in servum venundatus est Joseph.

Afflixerunt in compede pedes ejus : in ferrum venit anima ejus.

Usque ad tempus donec veniret sermo ejus : eloquium Domini probavit eum.

Misit ²⁰ rex et solvit eum : ²¹ princeps populorum et ²² dimisit illum.

1 satisfabit — 2 super — 3 herinacis — 4 repunt — 5 cubilibus — 6 ut luderes in eo — 7 saturabuntur — 8 in sæculum — 9 adinventiones — 10 universa mirabilia ejus — 11 Laudamini — 12 prodigiorum — 13 sæculum — 14 verbum præcepit — 15 statuit — 16 in præceptum — 17 ambulaverunt — 18 calumniaretur — 19 baculum — 20 regem — 21 dominatorem — 22 solvit

Posuit eum ¹ dominum domus suæ, et ² principem in omni possessione sua.

³ Ut erudiret principes ejus secundum voluntatem suam, et senes ejus sapientiam doceret.

Et ingressus est Israël Ægyptum, et Jacob advena fuit in terra Cham.

Et crescere fecit populum suum nimis, et roboravit eum super hostes ejus.

Convertit cor eorum ut odio haberent populum ejus, ut dolose agerent contra servos illius.

Misit Mosen servum suum : Aaron quem elegit sibi.

Posuit in eis verba signorum suorum, et portentorum in terra Cham.

Misit tenebras et contenebravit, et non fuerunt increduli verbis ejus.

Commutavit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.

Ebullivit terra eorum ranas : in cubilibus regum eorum.

Dixit, et venit musca omnimoda : ⁴ scinifes in universis terminis eorum.

Dedit pluvias eorum grandinem : ignem flammantem in terra eorum.

Et percussit vineam eorum, et ficum eorum : et confregit lignum finium eorum.

Dixit, et venit locusta, et bruchus cujus non erat numerus.

Et comedit omne fœnum terræ eorum, et devoravit fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum : primitias universi ⁵ partus eorum.

Et eduxit eos cum argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Ægyptus quum egrederentur : quoniam irruerat terror eorum super eos.

Expandit nubem in tentorium, et ignem ut luceret nocte.

Petierunt et adduxit ⁶ ortyometram, et panem celestem saturavit eos.

Aperuit petram et fluxerunt aquæ : cucurrerunt in aridis flumina.

Quia recordatus est verbi sancti sui : cum Abraham servo suo.

Et eduxit populum suum ⁷ in lætitia : ⁸ in laude electos suos.

Et dedit eis terras gentium, et laborem ⁹ tribuum possederunt.

Ut custodirent ceremonias ejus, et leges ejus servarent. Alleluia.

SALMO CV.

Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in ¹⁰ æternum misericordia ejus.

Quis loquetur fortitudines Domini : auditas faciet omnes laudes ejus ?

Beati qui custodiunt iudicium, faciunt justitiam in omni tempore.

Recordare mei Domine in reprobatione populi tui : visita me in salutari tuo.

Ut videam bona electorum tuorum, et læter in lætitia gentis tuæ : et exultem cum hereditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris : iniquè fecimus, impiè egimus.

Patres nostri in Ægypto non ¹¹ intellexerunt mirabilia tua : non sunt recordati multitudinis misericordiæ tuæ.

Et ad iracundiam provocaverunt super mare in mari Rubro : salvavit autem eos propter nomen suum, ut ostenderet fortitudinem suam.

Et comminatus est mari Rubro, et aruit : et transduxit eos per abyssos quasi in deserto.

Et salvavit eos de manu odientis, et redemit eos de manu inimici.

Et operuerunt aquæ hostes eorum : unus de ipsis non superfuit.

Et crediderunt verbis ejus, cecineruntque laudem ejus.

¹ dominatorem — ² dominatorem — ³ castigaret — ⁴ pediculi — ⁵ doloris — ⁶ coturnicem — ⁷ cum gaudio — ⁸ laudantes — ⁹ plebium — ¹⁰ sæculum — ¹¹ sunt eruditi mirabilibus tuis — ¹² Festinatio — ¹³ consilium — ¹⁴ montes — ¹⁵ disperderet

Et murmuraverunt in tabernaculis suis : non audierunt vocem Domini.

Et elevavit manum suam super eos, ut deiceret eos in deserto.

Et ut deiceret semen eorum in gentibus, et dispergeret eos in terris.

Et consecrati sunt Beel-Phegor, et comedere victimas mortuorum.

Et concitaverunt in studiis suis, et percussit eos plagâ.

Stetit autem Phinees, et ¹ dijudicavit : et est retenta percussio.

Et reputatum est ei in justitiam : in generatione et generationem usque in ² æternum.

Et provocaverunt super aquam contradictionis, et afflicti sunt Moses propter eos.

Quia provocaverunt spiritum ejus, et ³ præcepit in labiis suis.

Non exterminaverunt populos : quos dixit Dominus eis.

Et commixti sunt gentibus, et didicerunt opera eorum.

Et servierunt ⁴ sculptilibus eorum, et factum est eis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos, et filias suas demonibus.

Et effuderunt sanguinem innocentem : sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum,

quos immolaverunt ⁵ sculptilibus Chanaan : Et ⁶ polluta est terra sanguinibus : et coinquinati sunt in operibus suis, et fornicati sunt in ⁷ studiis suis.

Iratus est itaque furor Domini in populum suum, et abominatus est hereditatem suam.

Et dedit eos in manu gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

Et afflixerunt eos inimici sui, et humiliati sunt sub manu eorum.

Multis vicibus liberavit eos : ipsi verò provocabant in consiliis suis, et humiliati sunt propter iniquitatem suam.

Et vidit tribulationem eorum : quum audiret eos rogantes.

Et recordatus est pacti sui cum eis : et poenituit secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos mirabiles : coram omnibus qui ceperant eos.

Salva nos Domine Deus noster, et congrega nos de gentibus :

Ut confiteamur nomini sancto tuo : et canamus ⁸ laudantes te.

Benedictus Dominus Deus Israël ⁹ ab æterno, et usque in æternum : et dicet omnis populus, Amen. Alleluia.

SALMO CVI.

Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in ¹⁰ æternum misericordia ejus.

Dicant redempti à Domino : quos redemit de manu hostis.

Et de terris congregavit eos, ab oriente et occidente : ab aquilone et mari.

Erraverunt in solitudine, in deserta via : civitatem quæ habitaretur non repperunt.

Esurientes et sitientes : anima eorum in ipsis deficiebat.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua de ¹¹ afflictione eorum eripuit eos.

Et duxit illos per viam rectam, ut venirent in civitatem habitabilem.

Confiteantur Domino ¹² misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Quia saturavit animam vacuum, et animam esurientem implevit bonis.

Habitanter in tenebris et umbra mortis : alligatos inopia et ferro.

Quia provocaverunt sermones Dei, et consilium Excelsi blasphemaverunt.

Et humiliavit in labore cor eorum : corruerunt, et non erat qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua, de angustiis eorum salvavit eos.

Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum dirupit.

Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Quia contrivit ¹³ portas aëreas, et vectes ferreos confregit.

Stultos ¹⁴ propter viam sceleris eorum, et ¹⁵ propter iniquitates afflictos.

Omnem cibum abominata est anima eorum, et accesserunt ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua : de angustiis eorum salvavit eos.

Misit verbum suum, et sanavit eos : et salvavit de interitu eorum.

Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Et immolent hostias ¹⁶ gratiarum, et narrent opera ejus in laude.

Qui descendunt ¹⁷ mare in navibus, facientes opus in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

Dixit et ¹⁸ surrexit ventus tempestatis, et elevavit gurgites ejus.

1 exoravit — 2 sæculum — 3 protulit — 4 idolis — 5 idolis — 6 contaminata — 7 adinventionibus — 8 in laude tua — 9 à sæculo, et usque in sæculum — 10 sæculum — 11 angustiis — 12 misericordias — 13 ostia — 14 de via — 15 de iniquitatibus suis — 16 confessionum — 17 in mare navibus — 18 statuit

Ascendant in cœlum, et descendunt in abyssos : anima eorum in ¹ afflictione consumitur. Obstupuerunt et intremuerunt quasi ebrius : et universa sapientia eorum absorpta est.

Clamabunt autem ad Dominum in tribulatione sua, et de angustiis eorum eduxit eos.

² Statuet turbinem in tranquillitatem, et silebunt fluctus ejus.

Lætabuntur quoniam quieverunt, et deducet eos ad portum quem voluerunt.

Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Et exaltem eum in ecclesia populi, et in cathedra seniorum laudent eum.

Ponet flumina in desertum, et ³ fontes aquarum in sitim.

Terram fructiferam in salsuginem : præmalitia habitatorum ejus.

Ponet desertum in paludes aquarum, et terram iniviam in ⁴ fontes aquarum.

Et collocavit ibi esurientes, et fundabunt urbem ad habitandum.

Et serent agros, et plantabunt vineas : et facient fruges germina.

Et benedicet eis et multiplicabuntur nimis, et ⁵ pecora eorum non imminuentur.

Imminuta sunt autem et afflictia, propter angustiam mali et doloris.

Et effundet despectionem super principes, et errare eos faciet in ⁶ solitudine devia.

Et sublevabit pauperem de inopia, et ponet quasi ⁷ gregem familias.

Videbunt recti, et lætabuntur : et omnis iniquitas contrahet os suum.

Quis sapiens, et custodiet hæc : et intelliget misericordias Domini?

SALMO CVII.

Paratum cor meum Deus : cantabo et psallam ; sed et gloria mea.

⁸ Consurge psalterium et cithara, ⁹ consurgam manū.

Confitebor tibi in populis Domine, ¹⁰ et cantabo te in nationibus.

Quoniam magna super cœlos misericordia tua, et usque ad æthera veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus : et super omnem terram gloria tua.

Ut liberentur dilecti tui : salva dextera tua, et exaudi me.

Deus locutus est in sanctuario suo ; gaudebo ; dividam Sichem, et vallem Soccoth dimetiar.

Meus est Galaad, meus est Manasse, et Ephraim ¹¹ hæreditas capitis mei :

Juda ¹² dux meus. Moab lèbes pelvis meæ ; Super Idumæam projiciam calciamentum meum : cum ¹³ Philisthim fœderabor.

Quis deducet me in civitatem munitam : quis deducet me usque in Idumæam ?

Nonne tu Deus qui ¹⁴ projeceras nos, et non ¹⁵ exieras Deus in exercitibus nostris ?

Da nobis auxilium in tribulatione : vana est enim ¹⁶ salus ab homine.

In Deo ¹⁷ erimus fortes, et ipse conculcavit hostes nostros.

SALMO CVIII.

Deus laudabilis mihi, ne taceas : quia os impii et os dolosi contra me apertum est.

Loquuti sunt de me lingua mendacii : et verbis odii circumdederunt me, et expugnaverunt me frustra.

Pro eo quod eos diligebam, adversabantur mihi : ego autem orabam.

Et posuerunt contra me malum pro bono, et odium pro dilectione mea.

Constitue super eum impium, et Satan stet à dextris ejus.

Quum fuerit judicatus, exeat condemnatus : et oratio ejus sit in peccatum.

Fiant dies ejus pauci : episcopatum ejus accipiat alter.

Sint filii ejus pupilli, et uxor ejus vidua.

Instabiles vagentur liberi ejus, et mendicent : et quærantur in parietinis suis.

Scrutetur exactor universa quæ habet, et diripiant alieni laborem ejus.

Non sit qui ejus misereatur : nec qui clemens sit in pupillos ejus.

Fiat novissimum ejus interitus : in generatione altera deleatur nomen ejus.

¹⁸ Redeat in memoriam iniquitas patrum ejus apud Dominum, et ¹⁹ iniquitas matris ejus non deleatur.

Sint contra Dominum semper : et intereat de terra memoria eorum.

Eò quod non est recordatus facere misericordiam : et persecutus est virum inopem, et pauperem : et compunctum corde ut interficeret.

1 malo — 2 Suscitabit — 3 exitus — 4 exitus — 5 jumenta — 6 inani — 7 oves — 8 Expergiscere — 9 expergiscar diluculo — 10 psallam tibi in plebibus — 11 fortitudo — 12 legifer — 13 mihi Palestina fœderabitur — 14 projecisti — 15 exilis — 16 salus hominis — 17 faciemus virtutem — 18 Commemoretur — 19 peccatum

Et dilexit maledictionem, ¹ quæ veniet ei : et noluit benedictionem, quæ elongabitur ab eo.

Et indutus est maledictione quasi vestimento suo, et ingreditur quasi aqua in viscera ejus : et quasi oleum in ossa ejus.

Sit ei quasi ² pallium quo circumdatur, et quasi cingulum quo semper accingitur.

Hæc est retributio eorum qui adversantur mihi à Domino, et qui loquuntur malum contra animam meam.

Tu autem Domine Deus fac mecum propter nomen tuum : quoniam bona est misericordia tua, libera me.

Quoniam egenus, et pauper sum : et cor meum vulneratum est intrinsecus.

Quasi umbra quum inclinatur abductus sum, excussus quasi locusta.

Genua mea vacillaverunt à jejunio, et caro mea ³ mulata est absque oleo.

Et ego factus sum opprobrium eis : videntes me moverunt caput suum.

Adjuva me Domine Deus meus : salva me secundum misericordiam tuam.

Et sciant quoniam manus tua hæc : tu Domine fecisti eam.

Maledicent illi, et tu benedices : ⁴ restiterunt, et confundentur : servus antem tuus lætabitur.

Induantur adversarii mei confusione, et operiantur quasi pallio confusione suâ.

Confitebor Domino vehementer in ore meo, et in medio ⁵ populorum laudabo eum.

Quoniam stabit à dextris ⁶ pauperis, ut salvet à ⁷ iudicibus animam ejus.

SALMO CIX.

Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris mei : donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

⁸ Virgam fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum.

Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuæ : in ⁹ montibus sanctis.

Quasi de vulva oriatur tibi ros adolescentiæ tuæ.

Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Dominus ad dexteram tuam, percussit in die furoris sui reges.

Judicabit in gentibus, implevit ¹⁰ valles : percutiet caput in terra multa.

De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

SALMO CX.

Confitebor Domino in todo corde meo : in consilio ¹¹ justorum et congregatione.

Magna opera Domini : exquirenda ¹² cunctis volentibus eum.

Gloria et decor opus ejus : et justitia ejus perseverans semper.

Memoriam fecit mirabilium suorum : clemens et misericors Dominus.

Escam dedit timentibus se : memor erit in ¹³ sempiternum pacti sui.

Fortitudinem operum suorum annuntiabit

populo suo, ut det eis hereditatem gentium.

Opus manuum ejus veritas, et iudicium : fidelia omnia præcepta ejus.

Firmata in ¹⁴ sempiternum jugiter : facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo, mandavit in ¹⁵ æternum pactum suum :

Sanctum et terribile nomen ejus. Principium sapientiæ timor Domini.

¹⁶ Doctrina bona cunctis facientibus eam : laus ejus perseverat jugiter.

SALMO CXI.

Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : generatio ¹⁷ justorum benedicetur.

Substantia et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus perseverans semper.

Ortum est in tenebris lumen ¹⁸ justis : clemens et ¹⁹ misericors et justus.

1 et — 2 vestimentum — 3 macilenta — 4 restiterunt, et confusi sunt — 5 multorum — 6 egent — 7 iudicantibus — 8 Baculum — 9 splendoribus — 10 cadaveribus — 11 rectorum — 12 in cunctis — 13 sæculum — 14 sæculum — 15 sæculum — 16 Eruditio — 17 rectorum — 18 rectis — 19 pius